



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Stvdio  
Perfectionis Libri Dvo**

**Crombecius, Johannes**

**Mogvntiæ, 1614**

XVII. Vulnera ac morbos animi, nisi per gratiam Mediatoris sanentur,  
Perfectionem excludere. Primum vulnus explicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

gratiam, & ad tam sublimē & constantem peruenit Dei cognitionem, vt saepe noctem cur die in solius diuinitatis contemplatione detineretur.

Hoc ad extremum, ex iis quæ dicta sunt, confuturum maneat: videlicet, etsi fertilem idoneamque Deus Complexionem efformare possit in materno utero, si tamen non faciat, meminisse oportet quod diximus, *Non est abbreviata manus Domini*: quodque Anna mater Samuel aiebat, *Deus mortificat & viuificat. deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat: suscitaturque ex puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem: vt sedeat cum principibus & solum gloria teneat.*

*Isaia. 59.*

*I. Reg. 2.*

## C A P. XVII.

*Vulnera ac morbos animi, nisi per gratiam Mediatoris sanentur, PERFECTI-  
NEM excludere. Primum  
vulnus exeplicatur.*

**Q**uia cœpimus naturę nostrę infirmitatem depingere, & pauca pro rei magnitudine de mortalis corporis condicionibus attulimus: de animæ, quæ pars potissima est, infelici statu, & ( vt dicam verius ) casu, de vulneribus ac morbis, nonnulla quoque dicenda sunt. Proderunt ea nostri instituti primo fundamento, quod in animi demissione collocatur magni-

*Humilitatis materies.*

magnique refert, eam de nobis opinionem ini-  
 tio concipere, quam in progressu retinere de-  
 ceat. Quod etsi intendam in primis: longe ta-  
 men magis hanc tractationem suscipio, vt Chri-  
 sti IESV extollam gratiam, merita deprædicem,  
 eleuem nostra, hominumque confusionem o-  
 culis oïum obiiciam, & cognoscat oïis caro, quia  
 non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo  
 oporteat nos saluos fieri: & vt sine ipso factum est nihil,  
 ita sine ipso fieri nihil posse: gratiamque Dei es-  
 se vitam æternam. Dicat ergo aliquis: Diues sum,  
 & locupletatus, & nullius egeo. Respondebitur sa-  
 ne: Nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper,  
 & cæcus, & nudus. Nec mirum: nam incidimus  
 in latrones, qui nos despoliauerunt. Quid enim  
 amisimus per lapsum primi parentis? magna pro-  
 fecto & multa.

2. Nec difficile erit id nobis persuadere, si  
 consideremus primum parentem non vt pri-  
 uatum partes vnus singularis hominis agentem,  
 sed vt caput generis humani causam corporis  
 vniuersalis & membrorum singulorum susti-  
 nentem, si rem bene gerat, non sibi tantum ac-  
 quirere, sed & toti posteritati: & si infeliciter a-  
 gat, id damno omnium, qui ex eo orientur, fieri.  
 Vt enim qui causam reipublicæ alicuius tractat,  
 legitimæ ad hoc deputatus, ei, pro qua agit, vin-  
 cit aut cadit: sic & primi parêtes, à summo Prin-  
 cipe caput Orbis constituti, causam ac veluti  
 personam repræsentabant omnium qui aliquã-  
 do futuri erant: & victores nepotibus vince-  
 bant, & lapsi filiis posterisque suis labebantur.

Hoc

Act. 4.  
 Ioan. 1.  
 Rom. 6.  
 Apoc. 3.  
 Luc. 10.

Omnes ho-  
 mines in  
 primo pa-  
 rente &  
 fuisse, &  
 peccasse.

PRO MURECIUS  
 TULLIO PRINCEPS  
 HOC

Rom. 5.

Hoc ipsum D. Paulus testatur cum quærit peccati originem, in vno capite communem culpam reponens. *Sicut (ait) per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Ergo omnes peccauimus. Quæ voluntate? nostra? nequaquam? nam hæc non erat: sed eius in quo omnes peccauerunt: quia omnes in illo, tamquam deputato legitime qui communem ageret causam, deliquerunt.

Primum  
parentem  
peccando  
tria malo-  
rum gene-  
ra incur-  
risset.

Luc. 10.

1.

2.

3.

3. Quid demum amisimus, vnde pauperes, miseri, & miserabiles, cæci & nudi nuncupemur? Christus Dominus, qui malis his tãquam bonus Samaritanus presens adfuit, & remedium attulit, aptissima similitudine declarauit, primum parentem, cum descenderet ab Ierusalem in Iericho, incidisse in latrones, qui de spoliauerunt eum. Hoc primum: addit & secundum, eosdem nempe grauiter illum sauciasset: accepit enim vulnera letalia quatuor in internis animi potentiis, in quibus præcipua vis ad agendam consistit: tot denique plagis confixerunt, vt abierint mortuo propemodum relicto. Quæ tria si expoluerimus, facile miserabilem statum, nuditatem, egestatemque nostram agnosceremus. Graphice Iob calamitatibus suis differens, aptissima figura id ipsum expressit. Ego (ait) ille quondam opulentus, repente contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum: circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos: non percit, & effudit in terram viscera mea. Hæ Iobo acciderunt, prospera fortuna in sinistram

Iob. 16.

versa,

verſa, repente inſtar vuz in torculari conſracto, proculcato, ac detricto: omni bonorum expreſſo ſacco vi & pondere grauiffimæ calamitatis.

Sed quis hoc fecit? Reſpondet Iob: *Dominus de-* <sup>Iob. 1.</sup>  
*dit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita fa-* <sup>Iob. 16.</sup>  
*ctum eſt. Irruit in me quaſi gigas.* Sed quomodo

eum aggreditur? tenet ceruicem eius inſtar inuaſoris aut luſtatoris, vt eum denique proſternat ac conſringat. Circumdedit illum iaculis & ſagittis in eum contortis, & quidem ea copia, vt ijs infixis hiſpidus totus horreſceret; quemadmodum eſſe ſolet, qui in ſignum & ſcopum propoſitus eſt: nec modo exterius extrema cute diſſecuit, intimis quoque vulnerib. tranſfixit, lumbos ac renes traiecit; quid? imo fellis folliculum diſrupit, & viſcera diſcerpſit. Et vt oculis tangas, quod licet, & manibus, totus tabe & ſanie, quæ ex felle per totum corpus aſperſa eſt, manat ac diſfluit, intimiſq; viſceribus morbilque foediſſimis putreſcit. Denique *con-*  
*cidit illum vulnere ſuper vulnus:* quia mille complicitatis malis afficitur, & infinitis conſiſſioni- <sup>Iob. 16.</sup>  
bus diſcerpta ſunt ac dilacerata omnia. Quæ, quæ ſo, eloquentiæ maiore vi exprimi potuit parentis noſtri infortunium? Latrones enim ſeu dæmones, eum aggreſſi, præſtantiffimum quod in eo erat, abſtulerunt.

Tria in ipſo cõſiderare poſſumus naturæ mu- <sup>Tria na-</sup>  
nera: vnum, quo ipſa natura conſtat: qualia ſunt <sup>tura bona</sup>  
naturæ pincipia, ratio, facultates item ſeu po- <sup>in homine.</sup>  
tentia animæ, intellectus & voluntas: al-  
terũ, quod ex naturæ rationalis pincipijs oritur,  
nec

- 1.
- 2.

PRO IMPETU  
DE  
TIBIO  
HOC

nec cum brutis commune est; propensio nempe ad bonum consequendum, auersio, odium atq; abominatio mali: tertium quod in primo patet toti generi humano collatum est, fuit iustitia: ea quidem, quam parens in filios transfudit.

3.

*Hominis naturam ad super-naturalem statum, nec in puris naturalibus consistere.*

4. Hoc munus, si Dei scopum consideremus quo omnes homines ad beatam sui possessionem destinavit tamquam finem ultimum, naturam statum ac limites excedentem, erat quodammodo connaturale. Non enim voluit Deus hominem in natura nuda consistere, utque præter finem naturalem nihil præterea intenderet. Non ita: sed destinavit ad finem omnino super-naturalem: ideoque eum super naturam statum ac conditionem eleuavit per gratiam & iustitiam, infusus vna ijs virtutibus, quæ & intellectum ad rerum diuinarum cognitionem assequendam attollerent, & voluntatem ad agendum conformiter naturæ eleuatæ roborarent. Hæc gratia homines facit Dei filios: non modo quia Deus naturæ auctor est, sed auctor gratiæ & gloriæ, eaq; nos adoptat in filios, ac progignit excellentiori ac sublimiori generatione, communicata nimirum naturæ suæ diuinæ participatione. De hoc statu ita scribit D. Petrus: *Quomodo omnia nobis diuina virtutis suæ, qua ad vitam & pietatem donata sunt, per cognitionem eius qui vocauit nos propria gloria & virtute, per quæ maxima & pretiosa nobis promissa donauit: ut per hæc efficiamini diuinæ consortes natura.* Hic status sane non est naturalis, sed longe sublimior: aliumque finem

2. Pet. 1

hoc subsidia, facultatesq; continet. quæ naturæ sibi relicta suis functionibus exequendis requirit.

Ex his tribus muneribus duo propemodum sublata sunt: nam quæ naturam ipsam constituunt, eiusque proprietates emanantes, aduersarius non sustulit, nec potuit: sicut ultra substantiam temporalem, & corporis afflictionem, iubente Domino, diabolus Iobo nocere non valuit: sed facilis & propensus animus erat ad virtutis functiones, horrebat vitium, nec quidquam erat quod ordinem perturbaret. Hoc amisit: hoc tor-

*Iob 1. & 2.  
Quibus bonis homo spoliatus sit.*

que, qui ex collo depēdebat cum gratia & decore incredibili, spoliatus est. Tertium vero, cuius valor incomparabilis erat pretij, iustitia dicitur originalis, quæ & ipsum Adamum Deo gratum reddebat, & nos reddidisset: quæ appetitum inferiorum, phantasiam, membraque omnia corporis subiiciebat, ac vinciebat rationis imperio. Hæc omnino sublata est. Optime dixit Iob: *Nu-*

*Idus egressus sum de utero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Nuditatem in hanc lucis usuram attulit Iobus, quam post præuaricationem expertus est Adam & Eua. Viderunt enim quod nudi essent, & fecerunt sibi perizonata, ad tegendam nuditatem suam: nec modo se nudos viderunt, sed & senserunt se nudos: erant enim & prius nudi quam peccarent: & videbant, sed non sentiebant, infamem rebellionem: eam ideo quasi non videbāt. Senferunt ergo in se dissolutam harmoniam ac ordinem quem gratia originalis conciliabat in-

ter partes superiores & inferiores, & aperti sunt oculi amborum.

*Iob 1.*

*Gen. 3.*

*Ibidem.*

N

Huic

Huic iustitiæ coniunctæ erant virtutes omnes, quibus vita spiritualis constabat, infirmitas, dona cœlestia, Dei singularis protectio, ius æternam beatamque hæreditatem, vitæ immortalitas, carentia malorum omnium. His omnibus, vno infelici casu, spoliatus est primus pater. Nudus ergo erat Iob ex utero matris egrediens corpore & animo. Hoc vulnus etsi inter quatuor alia non censeatur, funestissimum tamen est, origo & fons omnium malorum, quodque ad mortem inferendam sufficientissimum est. Id

*D. Thom.* 1.2. q. 85. a. 3. *stiriam originalem perfecte ratio continebat inferens anima vires, & ipsa ratio perficiebatur à Deo, ei subiecta. Hæc autem originalis iustitia subtrahitur per peccatum primi parentis & ideo omnes vires anime remanent quodammodo destituta proprio ordine, qui naturaliter ordinantur ad virtutem: & ipsa destitutio vulneratio dicitur natura.* Hæc ille. Ut enim in regno aliquo, cum Regi parent Principes Prætores, alique subordinati subditi, ac denique infimi, omnia regni munia optime diriguntur, pax & quies in eo viget, & sanum illud reipublicæ corpus esse censeatur: quod si ordo illi tollatur rebellionem aliquam inferiorum contra superiores, regnum illud magnum vulnus accepisse dicitur, & interitui esse proximum: ita etiam perdita originali iustitia, quæ ordinem illum continebat, rationem subiiciendo diuino imperio, & cœlestibus donis perficiendo, ad rite decenterque mouendas continendasque vires inferiores, has quoque rationi subdendo, ut non

*Simile.*

rebel-



rebellarent, promptissime vero iussis parerent,  
petijt pax omnis, & vulnus naturæ inflictum est,  
quod ei mortem attulit.

6. Alia vulnera quatuor à Doctoribus cen-  
sentur, de quibus ita D. Thomas. *Sunt (inquit) quatuor,*  
*quatuor potentia animæ, quæ possunt esse subiecta vir-*  
*gatum: scilicet ratio, in qua est prudentia: voluntas,*  
*in qua est iustitia: irascibilis, in qua est fortitudo: con-*  
*cupiscibilis, in qua est temperantia, In quantum ergo*  
*ratio destituitur suo ordine ad verum, est vulnus igno-*  
*rantia: in quantum voluntas destituitur ordine ad bo-*  
*num, est vulnus malitia: in quantum irascibilis de-*  
*stituitur ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in*  
*quantum vero concupiscentia destituitur ordine ad de-*  
*lectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscen-*  
*tiæ. Hæc D. Thomas.*

7. Sed de singulis aliquid dicendum est. Læ-  
sa est intelligendi facultas telo ignorantia & er-  
roris, quamquam & error ab ignorantia oria-  
tur, & tamen vulnus immane est. Cum enim  
nihil clarius sit, quam Deum rerum omnium  
auctorem esse, cui cultus, honor, & amor de-  
beatur: homines tamen sibi Deos manibus fa-  
bricant, coluntque vitulos, staruas, imo & caco-  
dæmones, nec verentur profiteri quod olim Iu-  
dæi: *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra*  
*Ægypti.* Singuli quoq; peccatores sibi genios ef-  
formant, quos sequuntur & amant, quibus ni-  
hil est deformius: denique *dicunt bonum malum,*  
*& malum bonum: letantur cum male fecerint, &*  
*exultant in rebus pessimis.* Vulnus est, & eo  
deterius, quo minus agnoscitur: & non a-  
gno-

gnoscitur, quia error est, & is ipse ignoratur.

2.

*Ignorantia*

Sed quis magnitudinem vulneris ignorantiae sine lacrymis explicet? Altum admodum est & enorme. Infantia nostra ac pueritia in hinc hinc captæ saltantis consumuntur, & bestia ipsi in multis miserabiliores sumus; quod opus me D. Augustinus obseruauit. Pulli (ait) etiam minutissimi & currunt, & matres agnoscunt: nec in uerbis cura & ope admouentur aliena, sed ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirae facilitate nouerunt: Contra homine nato, & nutritis ad motus labris papilla uerbis ingerantur, ubi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis nutu gis possunt esurientes flere quam sugere.

3.

*Fatuitas*  
*tit. c. 12.**L. 22. ciuit.*  
*6. 22.*

Accedit fatuitas quædam subinde in adultioribus, de qua supra copiose diximus; in aliis uero difficultas discendi tanta, ut malint ignorantiae pœna multari, quam discendi laborem sustinere: nam, ut bene D. Augustinus, *Sine labore nihil scimus, discimus cum labore: & plerique sic discendi laborem fugiunt, ut malint in perpetuo ignorantia tenebris versari, quam laborem subire ad discendum necessarium.* Adiungit: *Quid aliud inueniat horrenda quædam profunditas ignorantia, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebris quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine dolore, labore, timore non possit?* Et hæc quidem illi sunt, quæ à studio cognoscendi homines deterrant.

4.

Sed ignoret homo plurima quæ in rerum natura abditissima existunt, utinam saltem natura

naturali lumine illico finem suum agnosceret! *Ignoratio-  
 gnorat homo miser finem suum, in cuius con-  
 natus finis ut-  
 lectione beatitudo consistit: & sic ignorat ut  
 timis.*  
 numquam de eo cogitaturus sit, nisi diuinitus  
 adiuuetur. Et quot inter fideles eum ipsum  
 vel ignorant, vel plane, quid sibi velit, nesciunt!  
 Maxima pars hominum ab ipso non dico sine  
 supernaturali, sed vel à naturali aberrant turpif-  
 sime, eumque in reb. infam. b. constituunt: cu-  
 ius rei testes esse possunt & hominum viuendi  
 ratio, & Philosophorum sentē. ię variæ de sum-  
 mo bono, de quibus Augustinus d. sputat libris  
*L. 19. ciuit.  
 c. 1. & seq.*  
 de ciuitate Dei. Quid autem miserius fingi po-  
 test ignorance proprii finis, hoc est, veri, &  
 summi boni?

Et quamuis multi finem illum non ignorēt,  
 cæcitiunt tamen in cognitione earum rerum, *5.  
 Ignoratio-  
 nis medio-  
 rum ad fi-  
 nem conse-  
 quendum.*  
 per quas ad beatam vitam perueniri potest: ut  
 merito credi possit, potissimam orbis, imo &  
 fidelium, partem ignorance rerum ad fidem  
 vel Legem Dei seruandam necessariarum perdi-  
 tum iri.

8. Sed & ea utcumque cognoscant homines, *6.  
 Ignoratio-  
 nis rerum  
 agendarū.*  
 quam multa in particularibus negotiis occur-  
 runt, de quibus dubitant an æquitati repug-  
 necne! Quis enim est tam prudens, qui non sæ-  
 penumero hæsitet atque hallucinetur in deli-  
 beratione rerum agendarum, præsertim circa  
 locum, tempus, modum, personas, aliasque cir-  
 cumstantias, ut sese vix possit resolvere? vnde  
 non immerito Sapiens, *Sap.  
 Cogitationes, ait, morta-  
 lium timida, & incerta prouidentie nostræ.*

N 3

Nec

7.  
*Ignoratio-  
 nis rerum  
 naturalium*

Nec mirum nos cæcutire in rebus spiritualibus : hæremus enim uero in rebus naturalibus etiam iis quæ sub sensu cadunt, aut quas naturali lumine assequi possumus. Cum enim hominis proprium munus sit contemplari res omnes, & ex earum cognitione ad cognitionem conditoris ascendere: & cum insitum sit à natura incredibile sciendi desiderium: (*Omnes enim homines naturaliter scire desiderant, ut Philosophus ait; quod M. Tullius alijs verbis exprimit eleganter: Natura, ait, inest mentibus nostris incredibilis quædam cupiditas veri videndi*) tanta tamen est imbecillitas mentis humanæ, ut ne formicæ, quidem naturam perfecte nouerit: quod Basilus, scribens ad Eunomium, probe declarat his verbis. Itaque qui se existentium scientiam assecutum esse gloriatur, exponat nobis, quomodo, quod minimum est rerum, quæ in lucem prodierunt natura habeat, & quæ formicæ natura sit, dicat. An spiritu & anhelitu ipsius contineatur: an corpus habeat ossium distinctiorem concinnatum ac discretum: neruisne ac nodis coniuncturarum roborata sit: An musculorum & glandularum complexu, neruorum naturam vndeque conseruetur: an è sincipite per dorsuales nodos, ad caudam usque medulla prorogetur: utrum et neruosa pellicula complexione, motis membris sit progrediendi facultas: habeatne hepar: an sub hepate flauabilis folliculus: utrum renes habeat, & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata: maldane sit vel crinita: an vnius tantum generis, an multifariis utatur pedibus. Quamdiu uiuat & quæ sit illi propaganda posteritatis ratio: quotuplo foetum generat

*fæcundum  
 Eccle  
 corum  
 Dicit  
 ac ter  
 huma  
 pinio  
 prog  
 rem a  
 9.  
 spect  
 prim  
 non  
 de S.  
 & ser  
 leip  
 hilm  
 big  
 dum  
 est,  
 stico  
 mer  
 tion  
 cret  
 tion  
 bor  
 tion  
 ac  
 ab  
 cio  
 no*

*fæcundum*

*Arist lib. 1.  
 Metaph  
 Cicero li. 1.  
 Tuscul. qu.*

fundatur. Hæc Basilius. Quapropter vere dixit *Basil. epist.*  
*Ecclesiastes: Cuncta res difficiles: non potest eas homo* 168.  
*explicare sermone: & mundum tradidit disputationi* *Eccl. 1. & 3.*  
 corum, vt non inueniat homo opus quod operatus est  
 Deus ab initio vsue ad finem. Quam vero obscuram  
 ac tenuem de Deo notio nem acquirere possit  
 humanum studium, testantur tot portentosa o-  
 piniones Ethnicorum de natura Dei: qui eo vsq;  
 progressi sunt, vt etiam cepis & aliis diuinita-  
 tem attribuere non dubitarint.  
 9. Sed demus res omnes naturales alicui per-  
 spectas esse, & in philosophia naturali ipsum *8.*  
 primum parentem aut Salomonem superare: *Ignoratio-*  
 nonne mirum est, verum tamen, quod ait Hugo *nis sui.*  
 de S. Victore cum B. Bernardo: *Multi multa sciunt,* *Lib. 1. de a-*  
*& seipos nesciunt?* Ceteræ mentes Angelicæ se- *nima, c. 9.*  
 le ipsæ cognoscunt perfecte: humana mens ni- *Bern. de in-*  
 hil minus. Quid? non modo naturam suam, ver- *teriori do-*  
 bi gratia vnionem animæ cum corpore, mo- *mo, ca. 21.*  
 dumque informationis, (quotus quisque enim *& 29.*  
 est, præter eruditos, qui hæc nouerit?) compo-  
 sitionem i rem humorum & temperamenti, nu-  
 merum ossium, venarum & neruorum colliga-  
 tiones & compagem cum carne & ossibus, ac-  
 cretionis & decretionis, nutritionis ac genera-  
 tionis arcana, principum partium officia, mor-  
 borum causas, & similia, sed ne quidem cogita-  
 tiones suas, & actus quos elicit internos, capit *Ps. 18.*  
 ac discernit. *Delicta quis intelligit?* (ait Propheta)  
*ab occultis meis munda me.* Infelix omnino condi-  
 cio, vt ille ipse, qui propria voluntate male agit,  
 non possit sæpe discernere an vere peccauerit,  
 deli-

deliberate consenserit : quantum, & quomodo  
 Qui ergo fieri potest, ut ille vitam recte instituat  
 & ægritudinibus suis medicinam faciat, qui  
 ipsum non nouit, nec scit an & quo morbo  
 laboret, & sæpe in morbi tuitione & peccati  
 defensione sanitatem suam collocet?

9.

*Indagatio-  
 nis mali a-  
 lieni.  
 Lib. de com-  
 punctione  
 cordis.  
 Matt. 7.*

Interea idem ipse, qui in suis delictis cæcus  
 in alienis scrutandis oculatissimus est. Quod  
 tium, dupliciter deforme, vigere etiam inter eos  
 qui PERFECTIONI dant operam, affirmat Cuius  
 loquomus. Talibus loquitur Christus, cum ait  
*Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem  
 in oculo tuo non vides?* Inde data est occasio fabule  
 de duabus manticis, quarum anterior aliena  
 tia, posterior propria continet. *Sed non videmus  
 (inquit ille) manticam quod in tergo est.*

*Catullus  
 in Scaxonte.  
 Persius  
 Sat. 4.*

*Vt nemo in sese tentat descendere, nemo:  
 Sed precedenti spectatur mantica tergo!*

Magna hæc miseria est : nam vitia propria cog-  
 noscere, semper est vtile, sæpe autem necessa-  
 rium: aliena scrutari, vix vnumquam vtile, sæpe  
 vero noxium ac perniciosum.

10.

*Animi im-  
 potentes  
 discursus.*

Accedit huic infirmitati alia non leuior: quod  
 inuiti, alienissimo tempore, subinde ridicula, in-  
 epta, inania voluamus animo: & ea adeo sæpe  
 hæreant, ut nulla ratione discuti ac obliterari  
 possint. Deplorant hanc miseriam Patres sancti  
 quod tempore orationis, cum soli, minime solent  
 & taciti, cum multis loquamur: eaque veniant  
 in mentem, quæ ne cogitantes quidem inueni-  
 re possemus. D. Hieronymus, *Nunc, inquit, cre-*

*Dial. con-  
 tra Lucife-*

errime in oratione mea aut per porticus deambulo, rianos, 6.6.  
 aut de senore computo, aut abductus turpi cogitatione,  
 etiam quæ dictu erubescenda sunt gero. Fortè D. Hie-  
 ronymus in persona aliorum loquitur. Augusti-  
 nus in Cōfessionibus, Cum, inquit, in huiusmodi Lib. 10.  
 rebus conceptaculum sit cor nostrum, & portat copiosa Confes. ca.  
 tantis cateruas, hinc & orationes nostra saepe inter- 35. in fine.  
 rumpuntur ac turbantur, & ante conspectum tuum,  
 dum ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio  
 unde irruentibus nugatoriis cogitationibus restan-  
 ta precipitur. Hæc ille. Merito itaque ait Rom. 8.  
 Apostolus: Vanitati creatura subiecta est non  
 volens.

Addam denique, quod, cum mens nostra II.  
 æterna sit, eique perpetua operatio deberetur, Corporis ne-  
 atamen quam diu in hoc corpore est, ne cessitates  
 diam quidem temporis vitæ nostræ partem si- tempus  
 bi potest vendicare: nam infantia ipsa in primis, a legendis  
 & pueritia detrahenda, & tertia, decrepita ætas, præcipi-  
 tes.  
 quæ sæpe inepta est & morbis continuis obno-  
 xia: quibus ætatibus mens aut nihil aut admo-  
 dum parum operatur. His iungendæ sunt no-  
 ctes, quæ somno occupantur integræ. Refectio-  
 ni corporis, & relaxationibus animorum, plures  
 horæ, dies, & menses exiguntur. Necessitati-  
 bus aliis corporum intercurrentibus lubenter  
 homines indulgent liberalius. Quantulum er-  
 go est, quod intelligentiæ ad opus suum relin-  
 quitur! quam denique exiguum, quam exile,  
 si continuam negotiorum molem, importu-  
 ni velut æstus fluxu ac refluxu, mentibus  
 nostris inuictam consideres! Quid de Deo,

N s de

ROMANUS  
 LIB. 10.  
 CONFES. CA.  
 35. IN FINE.

de rebus æternis, de salutis suæ summa, cogitare non poterit?

*Job. 16.  
Psal. 48.  
Job. 16.*

*Psal. 31.  
Judic. 16.*

*August. in  
Psal. 9.*

10. Ecce quot in vno vulnere tela confixerint. Dicat ergo cæcus, miser, & miserabilis homuncio: Ego ille quondam opulentus, cum in bonis re essem, non intellexi; comparatus sum iumentis inopientibus, & similis factus sum illis; repente contritus sum. Contendere cum Deo volui: temeritate meæ pœnas luo. Et sane longe impar eram tanto giganti: ipse sola manu tenens ceruicem meam, prostravit & confregit me. Hinc, fracta ceruicem, stupidus & cæcus euasi; factus sicut equus & mularum, quibus non est intellectus. Philisthæi mihi oculos perforauerunt, quia in Dalilæ sinu requiescens aduersariis fortitudinem meam exposui: cumque hostibus meis, qui in meam coniurauerant perniciem, essem ludibrio, posuerunt me in cuniculo, sicut signum ad sagittam. Heu, quoties confixus sum vel in vnico capite! etsi mihi oculi mille, vix vnus superesset immunis à tanta segete telorum, quæ densissime aduersarij certa manu in me collinearunt. Hinc cæcus prostratusque in tenebris, quærens lucem. En ergo alterum Job, vnde dicitur confixum, vndique exulceratum. Huius ignorantia ac cæcitate miseram conditionem exponit Diuus Augustinus. Cum magnum malum inquit homines putent oculorum cæcitatem corporalem, quæ lux ista retrahitur: quantam ergo pœnam patietur, qui secundis rebus peccatorum suorum perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius, & contuminentur viæ eius in omni tempore, id est, cogitationes & consilia eius immunda sint! & remedium ad se



adferens ait: Totus mundus cæcus est. Ideo venit Chri Lib. 50.  
 Illuminator, quia diabolus fuerat excacator. Om- homin hom  
 nes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. 43.  
 Currant ad illuminatorem, currant, credant, acci-  
 pant lutum de salua factum. Salua quasi verbum  
 est, terra caro est. Lauent faciem. Baptizantur, vt &  
 illuminentur. Hæc Augustinus. Sed tolerabile fo-  
 ret si solus oculus esset saucius, voluta quoque  
 oppido vulnerata est

## CAP. XVIII.

Ponuntur alia tria animi vul-  
 nera.

II. ET quidem intellectui inflictum vulnus,  
 voluntati, quæ alioquin cæca est, nō mi-  
 nus officit, quam si eodem ipsa fuisset telo con-  
 fixa. Si enim à cæco ducatum tollas, in mille  
 pericula præcipitas: aut si videnti lumen extin-  
 guas, vel auferas, non erit is cæco melior. At in-  
 tellectus oculus voluntatis est: & eodem te-  
 lo, quo læsus est, sublatus est voluntati ducatum:  
 lumen quoque sapientiæ extinctum,  
 ne cælestia videat. Quomodo ergo homo in re-  
 bus eligendis ac gerendis in mille pericula non  
 ruet? duplici ergo oculo extacatus est homo,  
 naturali ac diuino. Et si enim primus parens pec-  
 cando fidem non adinuit, nobis tamen amissus,  
 omnesque eius filij cæci nascimur.

II. Ad hæc innatus simul est amor sui, per quæ  
 ex eadem voluntate pulsus est amor Dei: &

Voluntatis  
vulnera.

1.

Amisio du-  
ctus seu o-  
culi tam  
naturalis  
quam su-  
pernatu-  
ralis.

2.

Amor sui.

hic

NO IMPEDIVS  
 TULO PER  
 HOIS